est. Demonstrat illa interpretatio quanta fuerit ἀκρισία et inscitia eorum, qui sequioribus temporibus monumenta Litterarum antiquarum interpretarentur. Nil istis subolet in lectione, ὑποκρίνασθ' ἀφήμως. Ruit metrum, sententia absurda est. Nihil sentiunt, comminiscuntur aliquid de suo, quod utcumque rei accommodatum esse videatur. Ἀφήμως, inquiunt, est ἡσυχῆ, κατὰ κόσμον. Nil attinet talia refutari. Satis est posthac cavere ab illo qui talia impudenter ausus fuerit fingere de suo: praesertim quum vera lectio dudum nullo negotio reperta sit, nempe haec:

ὑποκρίνασθ' ε ὐ φ ή μ ω ς.

Quis non vidit diphthongum ευ noto nexu ita scriptam ut planissime litteram α referret, et quis nescit quoties ea de causa α et ευ ineptum in modum confusa fuerint. Itaque proba et genuina lectio εὐφήμως primum in ἀφήμως abiit, deinde in ἀφ' ἡμέων depravata est ab iis qui ita legebant scripta veterum ut nihil intelligerent. Nisi forte putas intellexisse aliquid aut cogitasse eum hominem qui dederit:

τυφλὸς ἀνὴρ ο ὐ κ εἶδε χίῳ ἐνὶ παιπαλοέσσῃ.

pro οἰκεῖ δέ. Poëtam ipsum Ionica forma usum esse arbitror, οἰκέει δέ.

C. G. Cobet.

CICERO PRO PLANCIO VIII. § 19.

Cicero postquam dixerat: *Tu es ex municipio antiquissimo Tusculano —, hic est e praefectura Atinati,* pergit in hunc modum: *Utrum magis favere putas Atinates an Tusculanos suis?* Haec quoque interpolatione laborant. Exime *Atinates an Tusculanos,* quos nihil attinebat tam brevi intervallo iterum nominatim appellari, et statim emicabit sincera orationis forma haec: *Utros magis favere putas suis?*

C. G. Cobet.